

Die Urkunden der Burgundischen Rudolfinger, 108

In nomine sanctae et individuae trinitatis. Rodulfus dei clementia serenus rex. Iustis fidelium nostrorum petitionibus acquiescere utile ducimus. Quapropter notum sit omnibus natis et nascendis, qualiter petentibus Burchardo archiepiscopo et episcopo Anselmo damus Irmingardae reginae coniugi nostrae dilectae in comitatu Sauoigense nostrae proprietatis cortes in Albiniacum maiorem cum ecclesia in honore sancti Petri consecrata et aliis omnibus appendiciis et alium Albiniacum cum ecclesia in honore sancti Ioannis consecrata et aliis omnibus appendiciis et Meiolanum cum omnibus appendiciis et Conflenz cum ecclesia in honore sanctae Mariae consecrata et omnibus appendiciis et Novum Castellum super Isaram fluvium cum omnibus appendiciis et mandamentis. Haec supra nominata cum servis et ancillis ei damus, ut habeat potestatem habendi donandi vendendi vel quicquid ipsi placet inde faciendi. Ut haec a nobis facta credantur et a posteris nostris non infrangantur, manu nostra roboravimus et sigillari iussimus.

Signum domni Rodulfi (M.) piissimi regis.

Paldolfus cancellarius recognovi.

Data VIII kal. marcias anno ab incarnatione domini MXIII, regni domni Rodulfi regis XXIII; actum Logis castello.